

**Dissertatio inauguralis medica sistens paralysin cum quaestione, cur pes paralyticus citius restituatur quam brachium / [Eberhard Christoph Klaiber].**

**Contributors**

Klaiber, Eberhard Christoph.  
Hoffmann, Daniel, 1695-1752.  
Universität Tübingen.

**Publication/Creation**

Tubingen : J.P. Erhardt, 1746.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dvz9qhfx>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
SISTENS  
PARALYSIN  
CUM QUÆSTIONE,  
CUR PES PARALYTICUS  
CITIUS RESTITUATUR QUAM  
BRACHIUM.

---

QUAM  
PERMITTENTE GRATIOSA FACULTATE  
MEDICA,  
PRÆSIDE  
DANIELE HOFFMANNO,  
MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD.  
PRO LICENTIA  
SUMMOS IN MEDICINA HONORES  
CONSEQUENDI  
SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI  
SUBMITTIT  
EBERHARDUS CHRISTOPHOR. KLAIBER,  
Dettingensis,  
PHYSICUS HORNBURGENSIS.  
*Ad Diem Novembris MDCCXLVI.*

---

TUBINGÆ  
Excudebat JOHANNES PHILIPPUS ERHARDTUS.





## CAPUT I.

DE

### MOTU ANIMALI QUÆDAM TRADIT.

**A**ntequam ad ipsam tractationem Pathologicam & Practicam Paralyseos, ut & quæstionis, an & cur pes paralyticus citius ac faciliter restituatur quam brachium, accedamus, physiologice prius quædam de motu corporis humani eiusque partium (a) animali (seponentes tractationem generalem de motu,) eoque (b) tam voluntario quam involuntario præmittemus. Omnem motum corporis eiusque partium

a) Motus animalis dicitur, qui animalibus, ut talibus, competit, qui etiam localis vocari potest, quatenus omnium animalium membra ita constructa sunt, ut figuram ac situm mutare possint, siveque ad actiones animales perficiendas ob peculiarem illarum conformationem, disposita sint.

b) Notissima est distinctio motus animalis in *voluntarium*, *involuntarium* & *mixtum*; voluntarius dicitur motus, qui subest voluntatis imperio & ad nutum voluntatis fit, uti e. g. motus artuum, involuntarius vero sive *avtomaticus* dictus, absque voluntatis imperio, nobis nec volentibus nec

\* \* \*

tiū fieri mediantibus (c) musculis, uti certissimum, ita etiam notissimum est, quorum partes caput, venter ac (d) cauda communiter dicuntur; Venter ex congerie fibrarum musculosarum (e), cavarum (f), aliquantum tensarum & elasti-

cogitantibus imo reluctantibus fit, uti motus cordis, ventriculi &c. mixtus verò dicitur ex avtomatico & voluntario, qui iuxta voluntatem diversi mode modificari, suspendi vel temperari potest, uti e. g. respiratio.

(c) Omnia motionum in corpore vivo organon est *fibra motrix*, diversæ seriei, figuræ & coniunctionis, ex quarum contextu musculus oritur; ad minimum dici potest, omnem partem mobilem participare de musculo; *Musculus E.* sive sit *perfectus* s. *imperfectus* dicitur omnis illa pars, quæ constat fibris contractilibus, ea vi præditis, ut earum actione extrema partis totius accedant ad se mutuo, atque ex partibus vicinis, in quas terminatæ insiguntur, mobilior accedat ad minus mobilem, vid. *Boerhaave* *Prælect. Acad. in Instit. Vol. I. p. 280. III. p. 332.* vel secundum *Cel. Heisterum*, *Musculus* est instrumentum motus, constans præcipue ex fibris carneis & tendineis, quibus omnis generis vasa, arteriæ, venæ, nervi & lymphatica accedunt, communi membrana involuta; Græci vocarunt musculum carnem, quæ effigiem muris repræsentat, licet quam plurimi dentur musculi, in quibus nulla muris figura reperiatur, unde musculus vel μυς, απο τε μυεν, contrahere certius derivatur.

(d) Ab antiquis introducta & a plerisque recentioribus approbata est divisio musculi in corpus & duas extremitates, *corpus* venter, extremitates, *caput* & *cauda*, tendines vocantur: Extremitas ubi oritur, caput, principium origo, s. punctum fixum dicitur & adhæret parti mobili, ad quam fit attritio, finis verò vel cauda, punctum mobile vocatur, & inseritur parti mobili, venter medius utrique interiacet, fibris constans cum intertextis vas fanguiferis; hæ verò partes distinctè non in omnibus musculis demonstrari ad oculum possunt; qui Geometricam musculi descriptionem desiderat adeat *Stenonem in Element. Myolog. specim.*

(e) Hanc fibram muscularē vel motricem, *Læwenbæckius* optimis microscopiis instructus, unam, singularem diffilire dixit in innumerabiles fibrillarum unica compendium quasi musculi, ut hinc actio musculi totius, acti dici possit minimorum musculorum simplicium, per eorum numerus multiplicata.

(f) Cavas esse has fibras musculares, anatomici omni tempore prætenderunt

laisticarum (g), Caput vero & Cauda ex tendine (h) ossi plenumque immobili adhærente in partem vero movendam ten-

im quarum cavitate sanguis contineatur, unde earum & totius musculi rubedo deducenda sit, imo alii eas ex fibris nerveis, vasis sanguiferis & lymphaticis mirabili, omnemque aciem oculorum, etiam armatorum, subterfugiente modo convolutis ac in substantia cellulosa, pinguedinem continente, involutis constare dicunt, licet *Læwenbæckius* contrarium, fibras scilicet musculares solidas esse atque omni cavitate carere, asserat: *Sturmius* quidem fibras longitudinales cavas, transversales vero, ipsis longitudinalibus superincumbentes, solidas sibi concepit; Experimenta tamen, tam *Cowperi* cum Mercurio vivo, quam *Willisi* cum spiritu vini atramento tincto in arteriam musculi, ligata fortiter vena, injecto, omnes fibras musculares nigredine tingente, cavitatem illarum admodum reddunt probabilem.

(g) Fibræ partium solidarum in statu naturali sunt aliquantisper tensæ, conserverter conatu sese constringendi continuo gaudent, quod hiatus in vulneribus partium carnosarum, etiam cadaveribus inflictis, facile probat; hoc ipsum vero de nervis recentiores non æque admittunt, *Cel.* enim *Hallerus* prætendit, illos resectos non retrahi, ut arteria vel musculus, sed collabi adeò, ut etiam longior sit, quam ubi integer fuerat vid. *Prælect. Acad. Boerhaave Vol. II. p. 594.* de maioribus, tensisque nervis contrarium dixit *Boerhaave* in *Inst. Med. §. 162.* & *Cel. Swieten* in *Comment. ad bunc aph.*

(h) Tendinem olim substantiam à musculo admodum diversam, ex nervo & ligamento compositam, vel substantiam sui generis, nec in omnibus musculis obvium credebant; *Læwenbæckius* vero detexit, tot esse stamina vel fibras in tendine, quot sint in musculo, in tendine vero magis contiguas, arestiusque iunctas, sicque ad attractionem partium aptas, hinc & sanguinem haud copiose admittentes, & hinc coloris albicantis, adeò; ut sic tendo nihil aliud sit, quam continuatio substantiæ muscularis rubræ, quæ neque ipsa motrix est, neque rubra, vel caro musculi contracta, musculus vero nihil aliud quam tendo dilatatus, unde *Hippocrates* aliique Antiquorum vocabulum *τενός* pro *nervo* æque ac ligamento & tendine subnebant, & *πορευόμενος* ipsis nihil aliud dicebat, quam carnis in tendineam naturam degenerationem vid. *Boerhaave Prælect. Acad. Vol. III. p. 376. not. f.* Diversitatem vero huius a *nervo* & *ligamento* vid. in *C. Weitbrechtii syn-desmolog. p. 3. §. 6.*



tendente eique affixo constat (i). Hi musculi in actione sua constituti breviores ac duriores (k) manifeste facti, maximum robur ac stupendam omnino vim exerunt (l), quæ, tam

(i) Alter tendinum in plerisque musculis solet ad ossa firmari immobilis, quem caput vocant, alter vero in partem movendam immitti, cui caudæ nomen dederunt Anatomici, licet *Winstowius* prætendat, plerosque musculos utroque fine mobiles esse, atque mobilitatis illius gradus ita posse augeri atque minui, ut modo hic musculi terminus modo alter attrahatur & moveatur; *Cel. Heisterus* verò in multis solum, non in plerisque, utramque extremitatem mobilem esse dicit, in iisque proprie nullum esse punctum fixum, imo dari casus in variis musculis afferit, ubi id, quod modò fuit punctum mobile, iam fiat punctum fixum & vicissim; imò excipiuntur aliqui, quibus nullum est immobile punctum, uti in sphincteribus, qui hinc etiam aliam longe texturam offerunt.

(k) Musculi actio propria consistit in contractione & abbreviatione, qua eius extrema ad se invicem accedunt & sic simul partem, cui finis vel cauda musculi, tendo scilicet, inseritur, trahit & movet; non verò semper contrahitur, quia alter antagonistæ in contrariam partem æquali vi agit: quando verò contrahitur, necessario brevior fit, accurtatur & aliquomodo æqualiter in omni superficie intumescit & durior fit, quæ phœnomena in actione præsertim musculi temporalis manifeste in sensus incurunt, & *Schwamerdam*, *Borellus*, aliisque abunde demonstrarunt, ita ut secundum *Cel. Hallerum* in *Prælect. Acad. Bærhaav. Vol. III. p. 400.* nemo extet, qui aliter sentiat; contractionis huius mensuram *Bernoullius* egregie examinavit. In modo verò, quo hæc contractio fiat, non consentiunt Physiologi, an fibrarum corrugatione an repleione, an intumescentia à succorum turgescientia & rarefactione, an humorum contrariorum explosione aut effervescentia secundum *Willisium* & *Borellum*, aut rarefactione liquidi nervi ab admixtione particularum sanguinearum & effusione in bullulas secundum *Bellini*, vel intrusione liquidi nervi, eo fere modo, quo fibræ contortæ funis madidi ab aqua dilatantur, vel inflatione spiritus animalis elastici secundum *Bohnium*, vel repleione mediante sanguine qua ponderoso, secundum *Conperum* &c. fiat, hic non examinabimus.

(l) Quantum sit robur quantaque vis muscularum, quamplurimi Mechanici, inter que hos *Pitcarnius*, *Borellus*, quamplurimi experimentis e.g. robur dentium molarium, duos centenarios superans, comprobantibus, abunde demon-

tam promotu totius corporis quam partium voluntario æque  
ac involuntario (m) neque nervo qua solido, chordæ vel  
funis instar se habenti (n) neque sanguini per arterias in-  
fluentि (o) soli, sed potissimum influxui spirituum anima-  
lium

strarunt, quæ demonstrandi ratio maiorem adhuc speciem, maiusque robur  
ex nisu & pressione fluidorum acquirit, si supponas, uti in seq. probabimus,  
maximam musculi partem ex tubulis succo nerveo repletis constare, in  
quibus fluidum illud subtile ex spatio minori in maius movetur, ut sic mu-  
sculi robur insigniter augeatur.

(m). Manifestum est, sermonem nobis esse de motu corporis vel partium *ani-*  
*mali*, non de motu *tonico* vel contractilitate fibræ muscularis naturali, ab illo  
maxime diversa, quæ etiam in membro paralytico, imo saepius post mortem  
aliquantum superest, quando motus muscularis omnino destrutus est, unde  
facilis est responsio ad exempla illa notissima, stupenda licet, de motu cordis,  
musculorum, ranarum, serpentum aliorumque animalium, imo, quod magis  
mireris, ipsius hominis post mortem ex corpore extractorum.

(n). Hic explicandi modus tot tantisque obnoxius est difficultatibus, ut pa-  
gina deficeret, potiores solum allegare; cui usui quæsò forent musculi, si  
nervus ipsi ossi affixus solus motum præstare posset, & quidem adeo for-  
tem ac violentum, de quo *not. I.* diximus, cui omnino fibrillæ nerveæ,  
membrana licet cinctæ, in cerebro ex pultiformi materia constantes, ab omni  
fere elatere alienæ & in fine mollissimæ impares plante fuissent, ne dicam, quod  
tensio nervorum, qua solidorunt, ipsis arteriis, venis aliisque partibus firmi-  
ter adhaerentium & circumvolutorum, insignem violentiam & hinc circuli  
humorum turbationem vario modo inferret, imò nervi infinitis in locis  
serpentino ductu recurvi, quod tot plexus probant, & retrogradi sunt, po-  
siti simul in cellulosa fabrica, & toties affixi, ut tendi non possint, chordæ  
verò, si agere debet ut solida & tensa, in utraque extremitate debet esse  
firma; vid. *Boerhavii Prælect. Acad. Vol. II. Pachioni ac Baglivi nervum*  
etiam tensum pro motu supposuerunt, sed ope liquidi nervei, huius autem  
motum motui duræ matris, ast male, adscriperunt.

(o) Fuerunt omni tempore, qui fibras musculares non solum cavas, vid. *not. I.*  
sed & provasis sanguiferis habuerunt, & hinc actionem totius musculi à san-  
guinis influxu & motu in illis vasculis, à quo tumidiores & breviores fiant,  
deduxerunt: Certum quidem est, omnem musculum gaudere arteria & vena,  
adeoque sanguine totum perfundi, unde illius rubor; certum porro per-



malium vel fluidi nervi libero ac sufficienti (p) adscribi debet.

## CAP. II.

experimentum *Stenonianum & Lowerianum*, ligaturam arteriæ excipere cessationem motus in parte vel musculo, erectionem penis iuvari influxu sanguinis per arterias eiusque tardiori refluxu per venas, imo, quod adhuc magis, certum est, post mortem digitos extendi, si vasa ad musculos extensores abeuntia cera replentur, interim tamen æque certum est, musculum in actione constitutum esse pallidiorem, uti in corde ranarum videri potest, ob sanguinis expressionem, motumque partis ab iniectione, uti & penis à sanguinis motu retardato, esse admodum lendum ac tardum; & cur quæso cessare debet actio musculi ligato nervo? si ad illam nil nisi liber sanguinis influxus requireretur; ingeniose hinc *Cel. Hallerus* influxum sanguinis arteriosi pro actione musculi tanquam conditionem necessariam potius quam causam considerat, cum imprimis arteria irritata nihil motus muscularis renovet, vid. *Praelect. Acad. Bærbav. Vol. II. p. 614. seq.*

(p) Prolixum nimis foret, plerasque saltim rationes pro probanda hac sententia allegare, sufficiat pro materia disputandi dixisse, cerebrum secernere per totum ipsius tractum fluidum aliquod subtilissimum, *spiritus* dictum, quia omnia requisita ad viscus secretorium necessaria ibi reperiantur, immo probabile esse, secretionem hanc etiam in ipso musculo fieri posse, cum ultimæ ipsius fibræ æque tam parvam possideant diametrum, ac illæ fibræ vel tubuli cerebri, per quos fluidum illud transit; nervos ductus esse cerebri excretorios, hinc cavos supponendos, licet eorum cavitas ad oculum demonstrari non possit, quæ etiam e. g. in fibris muscularibus sanguine perfusis hinc rubentibus, in tubulis radicum, foliorum, in arteriis lymphaticis de quarum cavitate nemo tamen amplius dubitat, videri nequit; absentiam porro intumescentiæ nervi, facta illius ligatura, non probare absentiam cavitatis, quia secundum *Cel. Hallerum* illa saltim est occasio, non ipsa causa extensionis vel intumescentiæ, quæ à vi pellente & dispositione fluidi, hic admodum subtilis, pendet, uti arteriæ & venæ ligatae intumescunt, quia in arteriis pellens cordis maior est quam resistentia arteriæ, & in venis, quia arteriæ maior est, quam resistentia venæ; & si nervus solum qua solidu non verò qua cavus, (cuius fibrillarum tamen cavitatem ut & succum vidit *Læwenhæckius*, uti in *Epist. Physiol. XXXII. p. 311.* afferit) considerandi esset, actio tamen ipsius salva manere deberet, quamdiu manet solidus, per ligaturam autem vel compressionem non tollitur nervi soliditas, sed solum ei-

## CAPUT II.

DE

# PARALYSI PATHOLOGICE & PRACTICE DISSERIT.

Paralysis (a) est abolitio (b) motus vel voluntarii vel  
invo-

cavitas, qua tamen sublata vel imminuta tollitur vel imminuitur ipsius actio pro sensu & motu, manifesto indicio, nervum non agere, quatenus est solidus, funis vel chorda, quæ etiam ligata, impeditius licet, agit, sed quatenus est cavus, fluidum aliquod, spiritus animales dictum, vehens, quo & Experimentum pertinet *Bellini* notissimum, quo probavit, non solum suppressi respirationem ligato nervo, sed restituui eandem, non soluta ligatura vel dimisso nervo, sed potius deorsum versus diaphragma stricto, ut sic manifeste adpareat, non chordæ tensæ adstrictione, sed motu liquidii à cerebro ad partes motum earum fieri; accedit porro magnitudo & copia nervorum in musculis, quæ tanta est, ut, si omnem pinguedinem, arteriam & venam de musculo demferis, id quod supereft, nervus esse videatur, nervus enim, quando in musculum se dimisit, nunquam prodit, sed evanescit in musculo, *vid. Boerhaave Instit. Med. §. 395.* neque ullum est punctum musculi, quod non sentiat & moveatur; imo constat musculus ex elementis nerveis, quæ se mutuo non contingunt, separata, intercedentibus arteriis, venis, fabrica cellulosa; quæ fibræ nerveæ in tendinem colliguntur propiores, atque adeo non incommodate tendinem aponeurosin dixerunt veteres, quasi diceres enervationem, *vid. Halleri Prelect. Acad. Vol. III. 352. 376.* Hinc prout dubio etiam est, quod eadem & communia fere symptomata in laesione tendinis vel nervi obseruent Practici: Qualis denique sit fluidi illius nervei vel spirituum sic dictorum animalium natura, an de essentia lucis secundum Neutonum, an nitro-aëreæ, an oleosæ, sulphureæ vel urinosaæ vel acidæ naturæ, an merito cum Leibnitio lanugini elasticæ comparentur, hic non disquirimus, sufficiat dixisse, esse partem humorum tenuissimam & mobilissimam.

(a) Paralysis derivatur à παραλυσι, dissolvo, hinc resolutio nervorum, Germ. eine Lähmung dicitur, licet saepius sit resolutio muscularum potius, quam nervorum; quam congrue vero dicatur resolutio nervorum, non examinabimus, quia hoc vocabulum iam diu usu receptum est; sic *Celsus Lib. III.*



involuntarii (c), absque dolore vel alio impedimento evidenti, eaque vel perfecta vel imperfecta, (d) vel

*cap. 27. p. 191.* dicit, resolutionem nervorum interdum tota corpora, & tunc vocari *Apoplexiā*, interdum partes infestare, & tunc dici *Paralysin*, nunc vero utrumque Paralysin appellari monet, idque procul dubio, ob magnam horum affectuum affinitatem inter se, adeò, ut non tam essentiā, quam potius loco & causarum gravitate inter se differre videantur, & facile unius, præsertim apoplexiæ, in alterum, paralysin scilicet, transitus fiat.

(b) Abolitio motus dicit Paralysin esse Symptoma Actionis lœsæ vel potius destructæ, licet το παρα imminutionem solum aliis innuat; referri etiam potest Paralysis ad morbos conformatiōnis.

(c) vid. Cap. I. not. b.

(d) *Perfecta* vel *exquisita* paralysis non tam dicitur, quando omnis plane aliquius partis motus est abolitus, quam ubi sensus, scilicet tactus, cum motu cessat; *imperfecta* vero, ubi solum motus, salvo sensu, interdum exacerbato, & p. n. aucto, aboletur, quibus alii addunt tertiam speciem scil. *imperfectissimam*, improprie paralysis dictam, in qua perit sensus, illæso motu, cuius notabile admodum exemplum recenset *Digbeus in lib. d. Immortalit.*

*animæ pag. 362.* servi alicuius, magna dexteritate ac promptitudine labores suos obeuntis absque ullo sensu tactus: Phænomenon illud in paralysis imperfecta, abolitio scilicet motus, illæso sensu, Anatomicis & Physiologis omni tempore crucem fixit, adeo, ut hinc tam Veterum quam Recentiorum multi statuant, duplex dari nervorum genus, pro sensu alterum, alterum pro motu, vel nervos dari avehentes & revehentes, uti dantur vasa sanguifera, arteriæ & venæ; cum vero duplex hoc nervorum genus demonstrari haec tenus non potuerit, varii varios hoc phænomenon explicandi modos excogitarunt, sic *Willisius* exemplo lucis id explicare conatur in *Exercit. Pathol. cap. de Paralysi*, dicens, sicut lux per vitrum radiat, ubi ventus excluditur, ita sensu, qui tantum passio est, adhuc salvo, motus aboletur, & pauciores spiritus, iisque ligati, pro sensu sufficiunt, ad motum vero plures & quoad expansiones suas liberi requiruntur; alii in hoc casu vix tantam tamque universalem in nervis angustiam supponunt, quin aliqui spiritus, qui motum ciere præ paucitate nequeant, pro sensu tamen penetrare possint, cum elastici pauciores spiritus sufficient ad sensum in cerebro producendum, quam ad actuandas musculorum fibras pro motu animali; alii in tali casu, nervos minus, tendines vero solos gravius affici, haud considerantes, & hos per nervorum lœsiones necessario affici: *Cel. Hallerus* sensus fieri per

vel apoplectica (e) vel chirurgica (f) vel universalis vel particularis, vel idiopathica vel sympathica (g) vel levis & bre-

diversas fistulas nervorum à fistulis motoriis, eodem tamen fasciculo comprehensas, & ad modum venarum ad cerebrum revehentes, quod fistulæ motrices advexerant, speciose admodum coniectat, vid. *Praelect. Acad. Boerhaav. Vol. II. p. 605. not. b.*

(e) *Apoplectica* paralysis illa dicitur, quæ est apoplexiæ pedissequa, quando nimirum apoplectici experiuntur impotentiam ad motum vel totius corporis omniumque muscularum sub capite, *Paraplexiam* dictam, adeò raram, ut multi de ea dubitent; *Horizontalem*, vel *universalem*, vel in cervice statim, vel demum sub brachiis incipientem, vel *particularem* huius vel illius lateris, *Hemiplexiam* dictam, *lateralem* vel *perpendicularem*, eamque vel magis vel minus *exquisitam*, totius vel dextri vel sinistri lateris, vel partium solum quadruplicem, vel *exiguarum* e. g. palpebrarum, linguæ, sphincteris alicuius, quæ dein diversa acquirunt nomina, sic paralysis palpebræ vocatur *Pbalangoſis*, linguæ *Apbonia*, scroti *Rbacosis* &c. vel *diffusarum* e. g. totius brachii vel pedis.

(f) *Chirurgica* paralysis dicitur, quæ à causis vel violentiis externis oritur e. g. à vulnere vel capitum & cerebri vel spinalis medullæ, vel dissectione arteriæ vel nervi maioris, vel tendinis in aliqua parte, vel contusione, lapsu, luxatione vel fractura vertebrarum &c.

(g) *Idiopathica*, ubi causa physica in eo ipso membro vel parte est, in qua sedes paralyseos est per πρωτηπαθειαν; *Sympathica* vero per sympathiam vel devteropathiam, quando paralysis demum quasi ad hanc vel illam defertur, causa alibi latente e. g. in paralysi à vermis, ab hypercatbarsi, à colica spasmodica, narcotico vel purgante exhibito vel vini concessione, *Paresis* dicta, ab inflammatione pectoris, in gibbosis, rachiticis &c. unde vel dicitur morbus primarius per se talis, absque alio præcedente, vel secundarius, aliis morbis accedens vel succedens, uti affectibus plurimis capitum & systematis nervosi, ita etiam aliis, præsertim chronicis morbis; ne quid dicam, de aliis paralyseos speciebus rarioribus, e. g. à contactu *torpedinis marine*, vel illius Indorum *Beriberi*, quod ovem sonat, ab usu vini palmæ, qua æ gri non nisi nictando genibus & elevando crura cum elongatione artuum incedunt, vel etiam voluntariae dictæ, qua quidam, quoties ipsis volupe fuit, corpus suum facultate movendi privare, seque ipsos inanimatos quasi reddere valuerunt, quales observationes passim recensentur.



& brevis (h) vel gravior & chronica , vel lente & successive vel subito invadens (i) omnis ætatis sexus & temperamenti hominibus infesta (k) plerumque cum flaccidescen-

(h) Paralysis varios admittit gradus, tam ratione vehementiae, quam duratio-  
nis, subiecti & cause: primus gradus dicitur *formicatio*, secundus *stu-  
por*, *torpor*; in aliis plenaria adeat omnis motus abolitio, in aliis aliqualis  
adhuc movendi potentia superest, quatenus scilicet vel plures vel pauciores  
nervorum tubuli laesi, obstructi vel compressi sunt; *Vera* & *perfecta*  
diuturnior est plerumque & *chronica*, præsertim si non externorum solum,  
sed etiam internorum sensuum laesio, uti in paralysi perfecta, apoplexiæ pe-  
dissequa, frequentius observatur, concurrat; *imperfecta* autem, ubi pars  
non solum sentit, sed saepius etiam dolet, accedente præsertim formica-  
tionis sensu, motus reddituri spem non vanam faciente, levior plerumque &  
brevior est; grauissimæ paralyses brevi saepius ad mortem terminantur,  
uti de illa à dislocatione vel fractura vertebrarum notissimum est.

(i) Modus *invadendi* paralyseos diversus omnino est, pro diversitate tam  
ipsius paralyseos vel universalis vel particularis & quidem huius vel illius  
partis, quibusdam enim præsertim in *Apoplexia* subito ingruit, absque omni  
fere prævio symptomate, aliis *sensim* ac *successive*, præeuntibus variis in-  
diciis, torpore ac imbecillitate totius corporis, cephalalgia, memoriae lapsu,  
tremore, stupore, dolore partis, formicationis sensu, qualem in mem-  
bris diutius ac fortius incubatis, ob nervos pressos, impeditumque hinc  
ac inæqualem spirituum influxum, germ. das *Schlafen der Glieder*,  
sentimus, ponderis ac punctionis sensu, præsertim in casibus à frigore,  
voce tremula, frigore partis, absque frigore externo &c. vid. *Sponii Apb. nov. ex Hippocr. Sect. III. aph. 33.*

(k) Nulla ætas hic excipitur; sic *infantilis* ob convulsiones vehementes ac  
diuturnas, retrocessionem variolarum, scabiei, aliarumque exanthematum,  
varias contusiones ac distorsiones ab incurio famulitio neglectas &c. *media*  
ætas post motus frequentes spasticos arthriticos, podagricos, colicos, con-  
suetarum evacuationum, præsertim haemorrhoidum, suppressiones, gravio-  
raque animi pathemata &c. *senilis* ætas ob humorum dyscrasiam, excretionum consuetarum, præcipue serosatum, defectum, impuritatum retentio-  
nem, ebrietatem, spirituum & toni partium defectum, sape paralysi corripi-  
tur; non vero quælibet statim impotentia in senibus delassatis, languenti-



cescentia, mollitie & intumescentia partis (l) interdum etiam cum tensione ac distorsione (m), exarescentia vel tabe-

bus vel à morbo vel motu corporis nimio paralysis vocanda est ; De *Sexus* idem dicendum, licet secundum Practicorum observationes *masculinus* præ *fæminino* frequentius ac gravius paralysi corripiatur ; *Temperamenti* sanguinei & sanguineo-phlegmatici homines coripi præcipue paralysi itidem observationes Practicorum docent, ut & quibus debilius est ac tenerum systema nervosum, vino ac venei deditos, otiosos, somnolentos imo & iracundos.

(l) Partes paralytice frequentissime *laxæ, flaccidæ, tumore molli* præditæ, cacheticorum more conspicuntur, ob circulum humorum in illis læsum, quatenus sanguis & humores copiose quidem affluunt, in intersticiis vero carnis, ob motum musculorum, progressus humorum egregium alias instrumentum, deficientem, accumulantur, stagnant, nec legitime, ob moram præsertim viscidi & ad motum inepti redditi, à venis & vasis revehentibus reassumuntur, imò interdum partes paralyticæ in principio morbi intumescent ob causam dictam, tractu vero temporis *exarescunt*, de quo in seq. Paralysis E. dicit impotentiam ad motum cum *laxitate, flacciditate* partis, in contradistinctionem ad *contracturam*, ubi eadem quidem est impotentia ad motum, ast cum tensione, rigore, contractione ac resistentia, unde Boerhaave paralysin vocat laxam musculi immobilitatem, nullo nixu voluntatis vel vitae superandam, vid. *Aph. d. Dignosc. & Cur. Morb. 1057.* Frigidæ etiam saepius tanguntur partes paralyticæ, licet ad illas sanguis arteriosus fluat plerumque, uti ad alias sanas, teste pulsu, manifesto indicio, ad calorem etiam partis naturalem requiri liberum spirituum influxum, eorumque cum sanguine commixtionem & motum muscularum.

(m) *Tensio* ac *rigor* partis cum doloribus interdum tensoriis, træctoriis, paralysi saepius coniungitur, præsertim in subiectis calidioribus, temperamenti cholericis, biliosis, iracundis, & in casibus paralyseos à convulsionibus & motibus spasticis frequentioribus, imò accedit saepius dolor *tremorque* partis paralyticæ tantum non *convulsivus*, non raro motus reddituri præbens indicium, ob motum concussorum & hinc faciliorem obstructionum nervorum resevationem ; sic *oris* vel totius etiam *faciei* *distorso* versus latus sanum frequens est, præsertim in *hemiplecticis*, ob musculum antagonistam fortius, altero paralytice resoluto, trahentem, imò nonnunquam & spasmodee convulsum, quod phœnomenon etiam in palpebris conniventibus, saepius subfi-

tabe particulari (n), cum pulsu in parte paralytica plerumque paulo molliori, pleniori ac tardiori (o) ab immunito

lientibus, lacrymis involuntarie profluentibus, glandulis nimirum innomi-  
natis dictis tam relaxatis quam spasmodice constrictis, in lingua etiam non  
solum flaccida, sed etiam rigida, ad loquelandam inepta, occurrit.

(n) Hanc tabem vel ariditatem partis paralyticæ ii potissimum allegant, qui  
cum Medicis *Anglis* non sine veri specie statuunt, nutritionem mediante flu-  
ido nerveo, ad partes affluente, perfici, si non in toto corpore, in iis tamen  
partibus, quæ maximam partem ex nerveis fibrillis constant; in hoc quidem  
omnes consentiunt Physiologi, nervos, licet materiam nutritionis partibus  
non afferant, ad nutritionem tamen debite perficiendam naturaliter consti-  
tutos multum conferre, quatenus scilicet partes solidæ, mediante fluido illo  
subtilissimo per nervos adducto, debitum vigorem, tonum ac robur obti-  
neant, quo extendi, elongari, sicque succus nutritius, sanguinis gelatinosa  
portio, ad fibrarum intima melius penetrare, se insinuare ac apponi possit;  
non autem solum respectu partium *solidarum*, sed etiam respectu *fluidarum*  
concurrere videntur ad nutritionem partium corporis humani nervi, quate-  
nus nimirum fluidum vehunt, quod, si non ipsum subtilissimum, spiritus  
dictum, materiam pro nutritione subministrat, sanguini tamen in vi-  
sceribus affusum, aptum ipsum ad nutritionem reddet; cui enim usui  
alias forent tot tantique nervi in locis secretoriis, in quibus neque sen-  
sus neque motus manifestus est, uti e. g. in hepate, liene, aliisque  
glandulosis locis? vid. *Hallerus in Praelect. Acad. Bærbav. Vol. II. p. 557.*  
*not. g. Vol. III. pag. 661.*

(o) *Pulsus* in parte paralytica plerumque naturali paulo *mollior*, *plenior* ac *tardior* deprehenditur, cuius ratio facile patet; *pulsus* enim est arteriæ *diastro-  
le* sive expansio à sinistri cordis ventriculi constrictione & pressione sanguinis  
in eam proveniens, quæ adeoque necessario maior fieri debet relaxatis fibris  
arteriæ musculosis ac nerveis, illam undiquaque cingentibus in parte para-  
lytica, unde *pulsus* *mollior* & ex eadem ratione etiam *plenior* tangitur, quia  
sanguis ex corde expulsus arteriam, ob partium solidarum imminutam elasti-  
citatem, auctam vero laxitatem & sanguinis allidentis impetu nimium ce-  
denter, ita extendit, ut maius spatium sub dito contreciantis expleat, *tardior* autem simul videtur *pulsus*, quia arteria impulsui huic sanguinis non de-  
bite renititur, nec partes ambientes illum renixum adiuvant; in omni autem

uto vel plane sublato vel sanguinis arteriosi vel fluidi potissimum nervei ac spirituum animalium in partes influxu ependens (p) pro diversitate subiecti vel morbi vel causæ magis

pulsus dijudicatione semper ad statum systematis nervosi respiciendum esse, ipsa artis fundamenta iubent.

p) Afferuimus in primo *cap.* huius dissertationis, motum corporis humani eiusque partium tam voluntarium quam involuntarium dependere potissimum (non excluso plene sanguinis arteriosi influxu) ab influxu spirituum animalium vel fluidi nervi per nervos libero: adeoque *pathologice* iam dicendum est, *causam* motus abolitionis vel paralyseos, qualiscunque illa sit, proximam ac immediatam esse nihil aliud, quam motum duplicitis illius fluidi, nervi potissimum & arteriosi, maxime impeditum vel plane sublatum. Causa ergo *remota* paralyseos est omne id, quod quocunque modo genesin spirituum animalium, eorumque, ut & sanguinis arteriosi, ad partes motum impedit, nervosque potissimum ad transmittendos spiritus ineptos reddit, sive id fiat obstruendo, comprimendo à tumoribus, ab extravasatione sanguinis à causa vel interna vel externa, casu, percussione &c. puris, seri, lymphæ vel materiæ acris, tartareæ, in paralysi post arthritidem, scorbutum, unde distinguere solent Practici in paralysin *sanguineam*, *serosam* vel *pituitosam*, vel ligando spiritus sulphure vaporoso narcoticō, vapore arsenici, mercurii vivi, calcis recentis, vel solvendo continuitatem eorum in contusionibus, distorsionibus, fracturis, luxationibus, vulneribus &c. sic passim accusatur excessus in usu vini & spirituorum, suppressiones evacuationum consuetarum, mensium, lochiorum, hæmorrhoidum præsertim, ut & earundem fluxus nimius; sic *A. N. C. Vol. II.* paralysin ab exarescentia insolita medullæ spinalis, à vermibus, à fractura spinæ dorsi, *Vol. V.* à privatione aeris in vietore dolium vinaceis plenum ingrediente, *Vol. VI.* ex febre suppressa, *Commerc. Litter. Norimb.* passim (ut ex pluribus quædam solum allegemus exempla,) paralysin ex arsenico sumto, post venæ sectionem intempestive administratam, à podagra retrogressa, à frigore humores condensante & constringente, à veneris excessu, post luem venereum, ex purgante drastico, ex *Lauro-Cerasi* foliis, quæ mulieres lacti adjiciunt, alii ex ligaturis fortioribus, nimo aquæ calidæ usu &c. allegant; Modum verò, quo paralysis à variis causis allegatis, influxum spirituum impedientibus, producatur ac fiat, *Santorinus in libr. d. structura & motu fibræ*, exemplo funis sicci relaxati, madidi verò tensi explicare conatur, dicens, nervi sive fibræ sunt tensæ,

magis vel minus curabilis (q), per investigationem subiecti

cum illarum cavitates à liquido nervorum inferciuntur, ita ut partes fibræ præ succi turgentis impetu necesse habeant à contactu removeri sive extendi, si verò extendens spiritus deficiat, ita ut partes fibræ non sint amplius in distractione detentæ, minuetur fibræ dilatatio & augebitur eius longitudo, unde relaxatio. Phœnomenon illud in Praxi haud raro occurrens, quod scilicet resolutio unius lateris e. g. dextri sequatur læsionem lateris oppositi, nempe sinistri, Anatomici per decussationem fibrarum nervorum, Paresin verò à Colica, tanquam speciem paralyseos, per coniunctionem nervorum artuum, præsertim inferiorum, cum nervis plexus abdominis, materiæque noxiæ susceptionem, explicare solent.

(q) *Diversitas eventus*, uti in aliis morbis, ita & in hoc à diversitate Subiecti tam morbi quam *causæ*, & ipsius *causæ* maxime pendet; In genere iam olim Hippocrates *Libr. d. Loc. in Hom.* morbos systematis nervosi graviores & curatu difficiliores iudicavit, præ venarum morbis, quia nervi maiorem habeant connexionem cum cerebro, quam venæ, & quod difficilius ad nervos deferantur propinata medicamenta, quam ad venosum genus, cuius viæ semper alimentis & medicamentis pateant, hinc & paralysein curatu admodum difficilem pronunciavit: Sic *in genere* e. g. in senibus, cacochymicis, scorbuticis, valetudinariis difficilius tollitur paralysis, quam in iunioribus, in quibus etiam curata interdum recrudescit & sæpe in apoplexiā terminatur, præsertim illa ab hemiplegia ortum ducens; *in specie* verò ratione *partis affectæ* insignis intercedit, inter species paralyseos, differentia, an scilicet cerebrum ipsum & quænam illius partes, an medulla oblongata, an medulla spinalis, & in quo loco, afficiatur, adeoque an nervi in eorum principio & origine, an in eorum progressu, vel & insertione & distributione in musculo, an trunci maiores vel rami solum minores, pro paralysi partis vel exiguae, e. g. palpebrarum, labiorum, vel diffusioris e. g. brachii vel pedis, sint læsi, sic *Willisius* sedem paralyseos, vel in corporibus striatis, aut alicubi circa caudices medullares aut in ipsis nervis statuit, & in paralysi universali in utroque *corpore striato*, in hemiplegia verò in alterutro solum quæsivit, imò cum *Boneto* in cadaveribus hisce morbis defunctorum etiam invenisse prætendit, qualium exemplorum historias cum annexa ætiologia pluribus recenset in *Cap. IX. de paralysi pag. 246. seq.* Porro ratio ne *causæ* paralyseos eventus diversus admodum est, an illa scilicet e. g. ei defectu, torpore, inertia, ligatione aliis dicta, vel aliqua peregrina qualitat,

ecti morbi & causæ, per causæ ipsius sublationem partisque  
oborationem curanda (r).

### CAP. III.

fluidi nervei, an ob nervorum obstructionem, compressionem per tumores, sanguinem, saniem, serosam colluviem, ratione quantitatis, qualitatis diversam, vel & ob continui solutionem nervorum & arteriarum maiorum à contusionibus, vulneribus &c. oriatur ; sic paralysin perfectam cum frigore partis non raro *sphacelus* eiusdem, ob humorum circulum cessantem, deficientibus spiritibus, irruente mox putredine, excipit ; sic in linguae paralysi amissio loquelæ miseranda, memoriae labes ac puerilis desipientia observatur saepius ; sic in *hemiplexia* respirationis læsio, ob læsionem muscularum respirationi inservientium, haud rara est ; sic *paresis* ex colica facilius longe, quam alia paralyseos species, præsertim habitualis, curatur ac tollitur ; sic *Sponius* in *Apbor. Nov. Sect. III aph. 34.* paralyticos, quibus præter motus impotentiam pars corporis affecta extenuatur, incurabiles declarat, quia extenuatio illa indicet non solum defectum spirituum animalium, sed etiam ariditatem partis, qua angustiores ipsius meatus efficiantur, adeo, ut spiritibus animalibus magis adhuc impervia fiat.

r) Ex hactenus dictis difficultas curationis paralyseos facile elucet, cuius causa ita saepe comparata est, ut affectum plane incurabilem reddat. *Cura* ergo eo omnino est dirigenda, ut causa obstruens, comprimens vel alio quocunque modo laedens tollatur, sive influxus fluidi nervei in partes restituatur liber ac naturalis ; sic e.g. paralysis *chirurgica* à dissectione tendinis, (nervi enim dissecatio, præsertim maioris, incurabilem post se trahit paralysin) poscit reunionem eius, vel cum vel sine *futura*, eius vero læsio vel aliqua tantum ex parte discissio vel incisio, quæ etiam immobilitatem partis infert, poscit plenariam eius, ad tollendos dolores acutissimos, spasmos, convulsiones, imò ad avertendam inflammationem, gangrenam & mortis periculum, *concisionem* & dein demum, mitigatis sic symptomatibus gravissimis, futuram ac reunionem, de quibus vid. *Cel. Heisteri Institut. Chirurg.* pag. 47. & 1154. seq. à luxatione, licet ut plurimum imperfecta, vel fractura vertebrarum, repositionem, restitutionem, roborationem, reliquæque species convenientem medicationem chirurgicam requirunt. In Paralysi *Apopleætica* & quidem *sanguinea* *venæ sectio* vel *revulsoria* in pede, vel *derivatoria* in venis raninis, imo & *arteriotomia* in temporibus, præsertim in plethoricis, (vel & *cucurbitulæ* cum scarificatione vel in vertice, vel in nucha, vel partibus à capite remotioribus) locum habet, quam in alia

particulari communiter tanquam inutilem imò noxiā prohibere solent Practici. In *pituitosa*, *phlegmatica*, præmissis enematis, *laxantia* imò *purgantia* convenient; In omnibus verò paralyseos speciebus requiruntur *reveltentia*, *irritantia*, *excitantia*, veteribus dicta *attractentia*, *resolventia*, *deobstruentia*, *discutientia*, *penetrantia*, *interna & externa*, *debito loco*, sedi potissimum causæ applicanda, rubefacientia, vesicatoria, frictiones cum linteaminibus & spirituofis liquoribus penetrantioribus cephalicis, nervinis e. g. serpill. lil. convall. matrical. lumbricor. formicar. *Fotus*, *Epithemata* ex herbis, radicibus & floribus resolventibus, penetrantibus, discutientibus, e. g. herb. & flor. omnibus suaveolentibus, lavend. maior. serpill. salv. melis. rad. angel. valerian. *Cucuphæ*, *Balsama*, ex axung. castor. ol. salv. anth. succin. philosoph. piper. tart. fœt. &c. *suffitus* ex benz. styrac. cal. succin. mastich. thur. galban. *Embrocationes*, *Urticationes*, *Arenationes*, *Balnea naturalia*, *Thermae*, præsertim nostrates, *Ferinae*, tanquam infallibile remedium præsertim contra Paresin à Colica, adeo, ut multorum Practicorum in Colica spasmodica pertinaci, ad avertenda graviora mala, methodus medendi fuerit, aut propinare opiate, narcotica, dolores colicos atroces sedantia, aut balneum aquæ dulcis calidum suadere, à quibus, licet metuenda sit paresis, speranda tamen, ut dolorum colicorum cessatio, ita & ab usu dein, facta paresi, thermarum ferinarum, illius iterum sublatio, motusque artuum voluntarii restitutio certa sit, qui salutaris effectus ab usu harum thermarum non æque frequenter in paralysi, ut ab *Apoplexia*, ita etiam ab aliis recensitis causis, telle multiplici experientia, sperandus ac promittendus est, ut hinc quam plurimi Practici circumspectiores earum thermarum usum in dictis morbis non sine ratione reformident, & *Willisius cap. IX. de Paralysi pag. 245.* asserat, thermarum usum paralyticos multo deteriores reddidisse, quatenus nempe, balneatio sanguinem & humores omnes exagitans, particulas morbificas & heterogeneas magis exaltet, easque effervescentes factas è visceribus in Massam sanguineam adigat; unde, cum non facile evaporent, cerebrum & nervosum genus subeuntes, affectionem paralyticam intendant, eique convulsivam non raro inducant. *Artificialia vero Laconica* defendendo caput à vaporibus, *particularia* etiam ex formicis maioribus & herbis aromaticis nervinis, herb. & flor. arnicæ, & secundum *Borellum* cum syderite non sunt contemnendi sèpius effectus; *Absint* vero *frigida*, licet præ calidis tonum partium restituere videantur, ut & *Emplastrum calida* nimis ac resinosa; *oleosa*, ob metuendam inde pororum obstructionem, maioremque fibrarum relaxationem haud magni æstimentur, licet illud ex lumbrici

bricis & scarabæo unctuoso alii maxime extollant, præsertim in statu  
 rigoris ac tensionis coniuncto, in quo talia, quæ simul sunt tenuum partium,  
 ob admixta varia penetrantia, non semper sunt contemnendi usus. *Interne*  
 convenient medicamenta alterantia, leniter diaphoretica, Cephalica, Ner-  
 vina, Cinnabarina, Castoreata; In subiectis calidioribus & paralysi à cau-  
 sa calida proveniente magis temperata talia, cum nitrosis mixta, in frigi-  
 dioribus vero, lentoë ac visciditate humorum laborantibus, magis cali-  
 diora aromatica, spirituosa, salia volatilia urinosa, infusa theiformia ex  
 herb. flor. radic. & lign. resolventibus, aperitivis, antiscorbuticis, an-  
 tarthriticis; famosus ille nec satis deprædicandus *Liq. Corn. Cerv. succin.*  
 & celebre illud *Ol. animal. Dipp.* à cuius usu tam interno quam externo  
 egregios plane observavit Præses effectus; An *vomitoria*, *sternutatoria*  
 fortia, non solum qua evacuantia, sed potius qua valide stimulantia, im-  
 paëta fortiter, motu totius corporis concussorio, quasi convulsivo, excu-  
 tientia, & quando, locum habeant, circumspecto Practico determinabunt  
 circumstantiæ individuales; *Salivatio Mercurialis* à multis, in paralysi  
 præsertim habituali, maxime commendatur (licet, uti supra not. p. notavi-  
 mus, mercurius & eius præsertim fumus nervis valde sit inimicus,)  
 quatenus mediante larga seri ac pituitæ excretione humores impuri, præ-  
 fectim venereo fermento tinti, excreti, morbi somitem præscindunt,  
 particulæque mercuriales, intimos etiam nervorum recessus subeuntes, ob-  
 structiones aliasque lœsiones vario modo tollunt; De curationibus pa-  
 ralyseos *extraordinariis* ac *rarioribus* in *A. N. C.* aliisque observatio-  
 num libris hinc inde occurribus e. g. à fortiori iræ excandescentia,  
 à terrore ex incendii periculo, à lapsu è scalis, an ob vehementem terro-  
 rem, an ob motum totius corporis vehementiorem, an ob utrumque?  
 à diuturna diarrhœa, &c. hic prolixius non agemus; Quid sperandum  
 sit pro curatione paralyseos ab *experimentis electricis*, dies docebit.  
 Sublatio paralyseos per supervenientem febrem (quæ & interdum illam  
 præcedit) tam intermittentem, quam continuam secundum Practicorum  
 observationes manifeste probat, morbum alterum ab altero superari & dari  
 revera febrem medicam. In Cura *præservatoria* venæ sectio in ple-  
 thoricis, adsuétis, aliarumque consuetarum evacuationum, præsertim san-  
 guinearum conservatio ac promotio, fonticuli, setacea, motus & exer-  
 citatio corporis conveniens frequens, moderata tamen, cum diæta tenui,  
 potu sufficiente (inter cuius species *vinum salviatum* insigniter laudant Pra-  
 ctici) acidularum & thermarum usus circumspectus, vitatio animi path-  
 matum fortiorum &c. omnem absolvunt paginam.



## CAPUT III.

### PHOENOMENON ILLUD, QUOD PES PARALYTICUS CITIUS RESTITUATUR QUAM BRACHIUM, PROBAT.

Distinximus in tractatione de Paralyysi (a) inter paralysin *universalem*, quæ scilicet totum corpus, excepto capite, & *particularem*, quæ hanc vel illam occupat partem; Cum ergo frequens inter alias paralyseos particularis species occurat etiam paralysis *brachiorum ac pedum*, præsertim in Hemiplexia, quæstio moveri potest, quænam ex hisce partibus *citius ac facilius* curari, paralysis tolli, motusque illius partis voluntarius, restitui possit ac soleat; Ad quam quæstionem respondemus, in paralysi tali vel *laterali*, huius vel illius lateris, brachii scilicet & pedis simul, vel *particulari* pedis nimirum vel brachii, frequentius *citius ac facilius*, experientia teste, solvi paralysin ac restitui motum *pedis* quam *brachii*, si non plenarie & in totum, in tantum tamen ac plenius quam in brachio. Hoc tamen ipsum ita dictum volumus, non quod regulam inde formare generalem, pedibusque paralyticis præ brachiis, prærogativam aliquam tribuere velimus infallibilem, qua semper & in omni eorum paralyssi restitutio motus præ brachiis *citius, facilius ac plenius* obtineri non solum possit ac soleat, sed etiam debeat, sed quod, tanquam curiosum & ulteriori disquisitione omnino dignum phœnomenon, non adeo raro in Praxi Medica occurrat, *pedem* paralyticum *citius ac facilius* quam *brachium* paralyticum restitui: Ne verò videamus, nos gratis hoc phœnomenon Practicum supponere, cum omnino mirum videri posset, quod hæc ipsa circum-

(a) vid Cap. II. not. e,

cumstantia à Practicis in curatione paralyseos particularis non frequentius fuerit annotata & pluribus evoluta rationibus & nimium circa veritatem phœnomeni propositi nos esse securos, placuit allegare ad probandum hoc assertum *Casp. à Reies, Elys. Iucund. Quæst. Camp.* (b) quærerentem, qui fiat, ut paralytici, qui corporis medietatis, *brachii & cruris* (c), sensu omni & motu privantur, adhibitis remediis, quibus aliquando utilitatem consequuntur, hanc potissimum in crure experiantur, ita ut, laboriose licet, eos incedere plerumque videamus; brachii vero resolutio *rariſſime* aut *numquam* emendetur, sed immobile & paralyticum prorsus maneat; Ad probandam non solum huius phœnomeni veritatem, sed etiam ad reddendam illius rationem & explicationem allegat *Reiesius Rondeletium, Med. Prof. Monspeliens. & Cancellarium*, ita scribentem: (d) in *pedibus* citius curatur quam in *brachiis & manibus* paralysis; Etenim multi in dies conspicuntur, qui post apoplexiā & mediæ partis paralysin ambulant, nec tamen quicquam manibus apprehendere possunt, licet contrarium potius fieri debere videatur, ob cordis vicinitatem & caloris copiam; Porro *Forestus* (e) monet: *crura & pedes* resolvuntur (quibus etiam *facilior* est curatio, quam si *brachia* aut *manus* resolvantur, ob sicciorē & robustiorem naturam, quam habent) ob vertebrales lumborum, à quibus nervi horum oriuntur, aut quod in inguinibus hæc consistat affectio; Ad probandam ulterius phœnomeni propositi veritatem adducimus *Wepferi* observationes (f), ex quibus

(b) *Quæst. LXXXI. pag. 1073.*

(c) Antiquiores per *crus* non *tibiam* solum, uti Recentiores, sed totum pedem cum femore & pede extremo intellexerunt.

(d) *Libr. d. meth. cur. morb. cap. XXIII. p. 124.*

(e) *Observat. Med. Lib. X. Obs. 91. p. 661.*

(f) *Histor. & Observat. Apoplect. p. 210. 211. 269. seq.*



quibus patet, saepius hemiplecticos incedere ac obambulare valuisse, paralytico adhuc persistente brachio; Quibus omnibus hactenus allegatis superaddere possemus, non paucas ex Præsidis praxi observationes, ex quibus idem phœnomenon, citior scilicet *pedis* quam *brachii* paralytici curatio, ac, si non plenaria, aliqualis tamen & maior quam in brachio motus voluntarii restitutio, satis superque elucesceret.

## CAPUT IV. PHOENOMENON CAP. III. PROBATUM EXAMINAT.

Quod explicationem phœnomeni propositi, *facilioris* scilicet curationis *pedis* paralytici quam *brachii*, concernit, Reiesius (g) monet, videri omnino *contrarium* potius accidere, scilicet restitui citius motum *brachii* quam *pedis* paralytici, debere, quia Facultas Animalis (h), quæ sensus & motus causa est, & ex cuius defectu partes illæ laborent, à capite descendat, ibique principium suum obtineat, hincque *viciniores* capiti partes, (quales sint brachia), *citius* ac *facilius* illud beneficium suscepturnas esse, quam *crura* vel *pedes*, tanquam partes à cerebro, sede facultatis animalis, multo remotiores; imò non sine veri specie & hoc addit, brachium cordi etiam, tanquam fonti caloris propinquius pede esse; Certum equidem est, brachium propinquius esse cerebro stricte ita dicto, in cavitate scilicet cranii inclusum.

(g) loc. cit. pag.

(h) Facultates in corpore humano Medici olim distinxerunt in *Vitalem*, *Genitalem*, *Animalem* & *Rationalem*; *Vitalem* pro individui, *Genitali* vero pro speciei conservatione, *Animalem* pro sensu & motu, huiusque sedem in cerebro, *Rationalem* pro operationibus *animæ* statuerunt hasque duas posteriores principes vocarunt.

cluso, quam pedem; si vero consideremus, nervos brachiales æque ac crurales ex medulla spinali, quæ cerebrum est prolongatum, exire, dum scilicet nervos *brachiales* par sextum, septimum, & octavum nervorum cervicis vel colli, cum primo pari dorsalium anastomosisibus iuncta, nervum verò *cruralem anteriorem*, per femoris scilicet partem anteriorem distributum, constituat par secundum nervorum lumbarum cum paris primi, tertii & quarti ramis inoscultum, *posteriorem* verò nervum cruralem sive *Ischiadicum* par quartum, quintum, cum primo, secundo, tertio & quarto ossis sacri componat (i), facile patet, hanc dubitandi à Reiesio allegatam rationem infirmo admodum stare talo, cum hoc dicto modo uterque, tam *brachialis* quam *cruralis*, suo principio, ex quo egreditur, æque propinquus fere sit; ne dicam cum aliis, nervum esse nihil aliud, quam parvum cerebrum durius scilicet & siccus, cerebrum verò nervum amplissimum & mollissimum, facultatemque hanc animalem ex spinali medulla æque ac ex cerebro striete tali descendere ac influere (k); Altera dubitationis ratio  
à Reiesio

(i) vid. Vesaliū, Winslowium ac Heisteri Compend. Anat. pag. 36. seq.

(k) Nullum est dubium, spiritus animales vel fluidum nervum pro sensu & motu elaborati & secerni in spinali medulla æque ac in cerebro cranio incluso, quia ibi eadem requisita pro huius secrezione reperiuntur, ac in cerebro, scil. arteriæ sanguinem adducentes, tanquam materiam, ex qua secerni possint, & peculiaris medullæ spinalis textura ac dispositio, respectu corticalis & medullaris substantiæ, ut hinc non solum cerebrum prolongatum sed etiam inversum dici mereatur, quia habet medullam ex proprio cortice, uti Cel. Hallerus dicit in Vol. II. Prælect. Aead. Boerhaav. pag. 528. eiusque rationem reddit pag. 380. imo maximam illius partem ex medulla spinali prodire, læsiones ac vulnera illius maxime funesta probant vid. Vol. IV. p. 595. accedit, quod supra diximus in cap. I. not. p. probabile esse, secretionem huius fluidi subtilissimi non solum in cerebro & spinali medulla, sed etiam in ipsis musculis fieri posse, ex rationibus ibi allegatis.

â *Reiesio loc. cit.* allegata, maioris omnino momenti esse videtur, quod nimirum brachium cordi tanquam fonti omnis caloris in corpore humano sit multo propinquius quam pes, consequenter etiam citius ac fortius calorem cum sanguine recipiat, qui in hac ægritudine multum adiuvet, uti *Reiesius* ratioinatur, eo magis, cum, uti supra (l) diximus, sint non pauci, qui motum voluntarium præcipue à vegeto ac libero sanguinis per arterias influxu unice deducunt ac explicant; *Rondeletius* verò *loc. cit.* (m) & qui eum sequitur *Forestus* (n) pergit: in causa est, quod nervi *pedum* sint *sicciores & robustiores*, omnes enim nervi, qui è vertebris lumborum oriuntur, ante egressum nervi sunt, spinalis siquidem medulla in nervos degeneravit (o); *Reiesius* quidem hæc phœnomena à *Rondeletio & Foresto* allegata in nervis obvia non negat, sed illa solum ad producendum prædicatum effectum insufficientia esse iudicat: si vero dicendum, quod res est, Recentiores Anatomici talem siccitatem naturalem nervorum pedum, qualem forsan supposuit *Rondeletius*, vix admittent, licet *Laurentius* (p) æque ac *Bartholinus* (q) aliique siccissimos hos nervos declarent; & omnino respectu siccitatis inter nervos deprehendatur aliqua diversitas; si vero per maiorem

(l) Cap. I. not. o.

(m) Libr. d. Meth. Cur. morb. cap. XXIII. p. 124.

(n) Obs. Med. Lib. X. obs. 91. pag. 661.

(o) Id, quod *Rondeletius loc. cit.* per degenerationem spinalis medullæ in nervos expressit, Recentiores Anatomici, uti *Bohnius in Circ. Anat. Progymn. XXI.* pag. 293. & *Cel. Heisterus in Comp. Anat.* p. 116. per substantiam medullæ spinalis fibrosam tenacissimam, per quam aliquales insinuantes piæ matris emanationes, uti *Bohnius* scribit, fibrillas eius stipant, sensimque distinctas magis reddunt, v. g. in vertebris lumbibus inferioribus explicant.

(p) Hist. Anat. Corp. Hum. Cap. XX. p. 111.

(q) Anatom. Libr. III. p. 688.

rem siccitatem maior solum gradus firmitatis, magnitudinis ac molis, consequenter etiam roboris intelligendus est, vi cuius non ita plene ac facile non solum resolvi, sed etiam resoluti citius ac facilius in pristinum statum restitui poterunt, tunc omnino hæc ratio citioris restitutio-  
nis omnium hætenuis allegatarum optima erit, eo magis cum non solum a *Laurentio & Bartholino loc. cit.* nervi isti omnium *crassissimi, validissimi & durissimi* iudicentur, sed etiam à *Verheyenio* (r) *Diemberbroeckio* (s) *Cel. Heistero* (t) & *Winslovio* (u), tertius ex tribus vel quatuor ex medulla ossis sacri in unum quasi truncum coeuntibus constans, totius corporis *maximus* declaretur, & *Willisius* insuper (v) dicat, corpus medullare spinalis medullæ & nervorum fasciculos pro nervis ad crura destinatis denuo ampliari, id quod denique ex *Tabulis Eustachianis à Lancisio* publici-  
iuris factis ad oculum patet, ubi simul additur, *Eusta-  
chium* depinxisse nervos ad inferiores artus distributos longe maioris molis, uti revera sunt, quam illi, qui ad superiores artus amandantur (vv), qui consequenter nervi pluribus longe, ac inter se invicem communicantibus tu-  
bulis nerveis, præ aliis, & præsertim nervis brachialibus, gaudent, è quorum fasciculo plures, præsertim in para-  
ysi à causa comprimente, ab aliis circumiacentibus à com-  
pressione defenduntur, sicque vel *liberi* ac *aperti*, pro suf-  
ficieni

(r) Anatom. Corp. hum. Tract. VII. Cap. VI. p. 676.

(s) Opera omnia Anat. & Med. pag. 766. ubi de Bartholino simul monet, quod is quartum horum nervorum aliquando duplicem in exortu & pro-  
gressu observaverit.

(t) Compend. Anatom. pag. 137.

(u) Exposit. Anatom. Paris 1732. 42. Part. III.

(v) Anat. Cerebri & Nervorum Descript. pag. 174.

(w) vid. Tab. Eustach. in Mangetti Theatr. Anat. Tom. II. p. 16. fig. 2.

ficienti spirituum animalium influxu, manent, vel *citius* ac *facilius* iterum ab illa causa liberari, & sic motus pedis, si non in totum, in tantum tamen *citius* restitui poterit. *Reiesius* destructis *Rondeletii* & *Forestii* argumentis *triplicem* se invenisse, *citioris* crurum restitutio*nis* præ brachiorum, rationem *cit. loc.* gloriatur, quarum *primam* desumit à nervorum pedum *rectitudine*, cuius ratione facultas movendi promptius ad *pedes* quam ad *brachia* ferri possit, cum in brachiis nervi *obliquam* magis *conformatio*nem** obtineant; Cum vero hæc *rectitudo* gratis supponatur, & inspectio anatomica *contrarium* potius probet, pedum scilicet nervos non omni obliquitate carere, sed potius in exitu ex medulla lumbari & ossis sacri æque, imo magis ad latus intorqueri, ac illi, qui ex collo & superiori dorsi parte ad brachium transeunt, hæc ratio huic explicationi haud magnum affundet lumen; Altera à *Reiesio* allegata ratio est, quod morbi ipsius, paralyseos scilicet, causa materialis, quæ, cum nervorum principium occupet, *brachii* nervos magis offendat tanquam viciniores, in maiori quantitate ab illis imbibatur ac ad illos defundatur; In hoc vero *secundo* argumento admodum ambiguum est vocabulum *principii*, aut enim per illud intelligenda est medulla cerebri oblongata intra cranium sita, quæ ex substantia cerebri & cerebelli coalescit, & cuius pars inferior in novem (x) paria nervorum notissima impenditur, aut principium solum nervorum brachialium & cruralium, spinalis scilicet medulla, de qua supra (y) iam

(x) De Xmo pari nervorum adhuc ambigitur, licet *Cel. Winslowius Expos. Anat. Vol. III. decimum par admittat & nervos infraoccipitales vocet.*

(y) Diximus supra pag. 23. nervos *brachiales* par sextum, septimum &

iam diximus, si prius, tunc lœsio illius principii non tam alicuius artus, vel brachii vel pedis, paralysin, quam potius vel apoplexiam, si non universalem, lateralem tamen, vel ad minimum aliam nobilioris forsan alicuius partis, quam brachii vel pedis, paralysin, pro diversitate scil. loci & gradus lœsionis, inducet, si vero posterius, principium, scilicet nervorum brachialium & cruralium, spinalis medulla, tunc omnes hi nervi, tam *brachiales* quam *crurales* ipsorum principio æqualiter *propinqui* iudicandi erunt, adeoque & causa materialis æque facile ac æquali quantitate in illa nervorum principia infundi atque ab illis imbibiri poterit, (licet talis imbibitio ac infusio causæ materialis pro genesi paralyseos haud sit necessaria, sed solum compressio, obstructio vel alia quæcumque lœsio, influxum spirituum impediens, in eorum exortu, sufficere possit), consequenter *utriusque* paralyseos *cum brachii quam pedis curatio æque difficilis iudicanda foret.*  
*Tertiam rationem Reiesius* ex ordine naturæ desumere prætendit, quo statutum sit, ut sensus tactus prope cerebrum *imbecillior* sit, ad extrema vero *perfectior* & *valilior* deprehendatur, uti Galenus (z) doceat, dicens: nervi quo longius dissipiti, eo magis horum principium de iis sollicitum est, uti Parentes *absentium* liberorum solicitude magis anguntur quam *præsentium*; Hoc ipsum autem

*octavum cervicis nervorum*, cum primo pari dorsakum, secundum *Heisterum* loc. cit. secundum Winslovium vero loc. cit. par quartum, quintum, sextum & septimum nervorum cervicis, nervum vero *cruralem anteriorem* par secundum nervorum lumborum cum primi, tertii & quarti ramis inosculatum, posteriorem vero sive Ischiadicum par quartum, quintum, cum quatuor paribus nervorum ossis sacri constituere, qui dein in plures ramos dividuntur.

) Lib. VII. de Placitis.



tem ordini naturæ ut & experientiæ contrariari potius pàlam est, adeo, ut nulla refutatione indigeat prolixiori, licet provocent hoc asserentes (a) ad unguium radices & pudendorum finem, in quibus scilicet *sensus* sit admodum *exquisitus*; Ast quis nescit, ideo in apicibus digitorum sensum tactus adeo esse exquisitum, quia ibi tanquam in proprio organo exercetur sensus, in papillis scilicet mollibus, pulposis, medullosois, nerveis, pyramidalibus ex nervis subcutaneis duris, exuta membrana exteriori emollitis, ortis (b). *Simile* vero a parentum solitudine de absentibus liberis desumptum admodum est *dissimile*, nec ulla specie ad artus inferiores, tanquam partes ignobiliores, & à fonte caloris remotiores, applicari potest; Plura paginarum angustia excludit, adeoque hæc iùfficiant; quæ obscuriora videbuntur, in discursu disputationario explicabimus, si vero passim rem minus attigerimus, tum dicta aliis ansam ad minimum dare poterunt, data quacunque occasione attentius inquirendi.

(a) Laurentius in Hist. Corp. Hum. Lib. IV. Quæst. XI. p. 118.

(b) Vid. Institut. Boerhaav. S. 481. p. 205.

## T A N T U M.

